

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae  
Christiana. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De  
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.  
Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

§. 6. De fine cujusque Officii

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

naesticæ sanctionis transgressionem objecissent, Petrus Venerabilis his verbis respondit, lib. 1. epist. 28. De genuflexionibus regularium horarum quidquid regula jubet omnimodis custodimus, & antequam horam decantare incipiamus, ubicumque simus, cum timore divino genua flectimus. Prohibet hoc aliquando nimius imber, condensa nix, lutulenta tellus, & tunc loco moetaneæ psalmum Miserere mei Deus decantamus, ut tali commutatione præceptum quod' implere non possumus, recompensemus. Cave itaque, ne, dum privatim recitas, cursim & perfunctorie Officium tuum persolvas, sed quantum fieri poterit, præscripta documenta observes, præmissa præparatione, & una ex suprascriptis attentionibus adhibita, ne oratione tua Deum provokes ad iracundiam.

#### §. VI. *De fine cuiusque Officii.*

**M**eliorem esse finem orationis quam principium, sapientissimus mortalium asseverat: pendent enim à fine omnia, & quod postremo adjectum est secum rem totam traxisse videtur. Studet orator ea præclara facere, quæ sunt in fine orationis, ut cum plausu recedat. Athleta, si vel omnibus victis vicitus fuerit ab ultimo, nonne se ipsum, & gloriam perdit? Ita oratio laudabilis non erit, nisi optimo fine terminetur.

1. Officio igitur peracto recogita primò quid in recitatione transgressus sis, quot & quales defectus in attentione, devotione, & reverentia commiseris, & de iis veniam pete cum dolore & contritione, ac proposito emendationis. Si quid autem omissum, vel cum culpabili distractione persolutum est, statim supple, & culpam pœnitentia delere non differas.

11. Gratias Deo age, qui te suis laudibus quantumvis indignissimum, interesse & eas immundo ore decantare permisit. Deinde tuum obsequium per manus B. Virginis, & omnium Sanctorum, eorum præsertim quorum festivitas celebratur, Domino offer in unione meritorum

Christi juxta intentiones initio præfixas.

III. Defectus, quos commisisti, quam primum expiare studeas cum proposito emendationis.

**S. VII. Oratio post Officium.**

**G**ratias tibi ago Domine Deus misericors & clemens, patiens, & multæ miserationis, quod meas indignas orationes audire dignatus sis, & de manu mea laudum tuarum sacrificium suscipere. Unde mihi hoc, ut invenirem gratiam ante oculos tuos, Domine mihi, qui consolatus es me, & fiduciam praebuisti orandi te? Dimitte Domine, secundum magnitudinem misericordiae tuæ quidquid in tuo servitio scienter vel ignoranter peccavi, & adiunxi jubeas ante conspectum Majestatis tuæ depreciationem servi tui. Vide afflictionem meam amaram nimis, & omnes transgressiones meas in vulneribus ablue dilectissimi Filii tui. Suscipe preces, & laudes, quas effudi coram te, cum laudibus, & orationibus Domini mei Jesu Christi, Beatissimæ Matris ejus, beatorum Angelorum, & omnium Sanctorum, eorum præcipue quorum hodie festivitas celebratur: ad majorem tui gloriam, & supremam latriam, ad totius Curiæ cœlestis veneracionem, ad meam, meorumque omnium utilitatem & salutem, sicut tu scis, vis, & potes. Recordare fragilitatis meæ, & ignosce confitenti per unice tibi dilectum Je-sum Christum Filium tuum, in cuius mellifluum cor officium meum, & omnia opera mea trado, ut ea emendas, suppleas, purifiques, & acceptes. Pie Jesu Fili Dei, & Matris Virginis, dignare de manu clementissimæ Matris tuæ suscipere hoc tepidum & distractum officium, & unitum tuis ardentissimis orationibus Patri tuo repræsenta. Responde quæso, satisfac & supple pro me plenissime. Tu vero Pater benignissime respice in faciem Christi tui, & misere te mei, atque omnium pro quibus orare debeo, gratiam tribuens te digne semper laudandi, & glorificandi, per ipsum, & cum ipso, & in ipso, cum quo, & Spi-